

antea in $T C Z B I$ arcu computabantur. Numerus uero circulorum $Almicantarath$ in Horizonte incipiat, uergatq; in utramq; partem sursum & deorsum, desinatq; in zenith quod est $Almicantarath$ 90 . Deinceps azimuth seu uerticales circuli eadem ratione inscribentur $Planisphaerio$, sicut iam de $almicantarath$ dictum est, uidendo nempe semper sectiones circulorum horariorum cum proposito circulo azimuth in instrumento, in quibus nempe declinationum gradibus accidant, & ad eam horam apposita regula circa gradum illū declinationis in linea fiduciali, notando puncta, eaq; deinceps inflexa linea connectendo, quorum numerus incipiat in $B A D$ linea, desinatq; in $C A E$. Postremo ab orbe $B C D E$ numerentur 23 gradus, 29 minuta, declinatio uidelicet Solis maxima, super quo ex A centro tropicus solstitorum depingatur. Et haec quidem matris huius $Planisphaerij$ descriptio, quantum instituto nostro inferuire uidebatur, rhetis autem haec est depictio. In secunda tabula ad datam $A B$ quantitatem, describatur circulus $F G H I$, ex K centro, qui in 360 partes aequales secetur, & numerus ab F per $G H$ & I procedat. Centro autem eius K applicetur linea fiduciae in partes nonaginta, prout diximus inaequales diuisa. Fiat deinde introitus in tabellam sequentem declinationum & ascensionum rectorum partium signiferi, desumaturq; cum proposito signo eiusq; parte ex ea declinatio eius ac ascensio recta. Ascensio uero recta numerabitur in circulo $F G H I$, & ad finem numerationis apponatur fiducialis regula, in qua declinatio eiusdem partis signiferi computabitur, & circa terminum huius numerationis ad hanc tabulam rhetis fiat punctum, & ita de reliquis, quae tandem sibi inuicem curua nectantur linea, ut ecliptica ex ijs procreetur. Porro huic aequidistantes alij describantur arcus, tria spacia cum ecliptica concludentes, ut in horum primum singulorum per gradus signorum distinctio, in sequens, numerus graduum per quinarium aut denarium distinctorum, in postremum autem nomina aut characteres duodecim signorum inscribi possint. Numerus quoq; incipiat in F , uergatq; uersus $G H$ & I , quam etiam seriem nomina seu characteres duodecim signorum sequuntur, & extra ambitum $F G H I$, alia describatur periferia pro libito. Quod ubi factum fuerit, ex tabula stellarum fixarum desumatur ascensio recta stellae cuiuspiam propositae, eaq; ut antea numeretur in arcu $F G H I$, & ad eam applicata regula fiduciae, in ipsa numeretur eiusdem stellae declinatio, & circa eam ad rhete fiat punctum, quod uerum stellae locum indicet propositae, cui ascribatur nomen stellae datae &c. Hoc deniq; quisq; pro sui ingenij sagacitate in rethis foramen ita perforabit, ut ab ecliptica linea ex una parte superfluum refecetur, quo illa quodammodo fiat diaphona &c. Rethae uero cum fiduciali linea ita affigatur matri $Planisphaerij$, ut libere circa eam moueri possint.

TABVLA